

tor enim ibi veniam suscipit quod designatum est in ppitatorio quod voluit deus fieri in tabernaculo. Exo. xxv. Quare ppheta ait: Suscepimus de^o misericordiam tuam in medio templi tui: Tum tertio quod est locus refugii ad quem sicut ad castrum fortissimum refugere habent qui ab hoste inuisibili fortiter impugnant. puer. xvij. Turris fortissima nomen domini ad eam confugiet iustus et saluabitur. Terribilis enim est hostibus locus orationis. Unde iacob de loco ubi domus dei erat edificanda ait genesis. xxvij. Terribilis est locus iste: terribilis inquam demonibus: Tu quarto quod est locus solacii et delectationis desiderantibus et expectantibus consolationem spirituales. In templo enim symeon recepit consolationem: Luce. ij. dicit: Nunc dimittis seruum tuum domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Preterea dicebamus quod locus orationis non solum amandus sed in magna reverentia habendus est a religiosis. Ad quod octo rationes assignari possunt. Prima indignatio domini in saluatore contra inhonorantes hunc locum. Nunquam enim legimus christum in vita sua tantam iram et zelum ostendisse quantum ostendit cum vidit quod templo debita reverentia non exhibebatur. Joa. ij. et Math. xxi. Tunc impletum est illud psalmi. Zelus domus tue comedit me. Secunda ratio quod locus ille a deo inhabitatus. Exo. xxv. Faciam tibi sanctuarium et inhabitabo in medio eorum. Et in psalmi. Sanctificavit tabernaculum suum altissimus: deus in medio eius supplex manet. Tertia quod ab angelis frequentatur: Unde iacob vidit angelos ascendentes et descendentes in loco ubi domus domini erat edificanda. Specialiter dicunt sancti angelos adesse cum missa celebratur. Grego. Quis fidelium in dubium habere possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem celos aperiri: atque in illo iesu christi mysterio angelorum choros adesse sumis ima sociari: terrena celestibus iungi? Quarta ratio propter reverentiam sanctorum ad quorum honorem locus dedicatus est. Quinta ratio propter reliquias sanctorum que ibi collocate sunt. Sexta ratio propter opera excellentia que ibi aguntur videlicet sacramentorum. Septima ratio propter dei beneficia que ibi recipiunt sicut dictum est. Octava propter sanctitatem loci quam in dedicatione suscepit. Se-

quit (Expleto opere dei) .i. horis expletis (Oes cum summo silentio exeant) Non enim tantum cum silentio: sed cum summo illos exire voluit sanctus pater: ad designandum quod cum magna gravitate et honestatis disciplina non loquendo non susurrando non inboneste aut leuiter incedendo: sed omni maturitate religiosa sicut hi qui de loco sancto exeunt et de loquendo cum tremendo iudice et domino infinite maiestatis veniunt. Sequitur (Et agatur reverentia deo) videlicet profunda sancta et deuotissima inclinatione ad altare (Ut frater) Hic redditur causa huius quod dictum est in principio capituli (Ut frater qui forte sibi) id est apud se secrete nemine audiente (peculiariter vult orare) id est private et singulariter (non impeditur alterius improbitate) Hanc etiam causam in regula sua beatus Augustinus assignat cum ait in oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod factum est: unde et nomen accepit: ut si forte aliqui etiam preter horas constitutas si eis vacat orare voluerint non sint eis impedimento qui ibi aliquid agendum putauerunt. Ubi considerandum quod in hoc quod beatus Benedictus prohibet impediri illos qui fortassis interdum orare volunt propter horas constitutas manifeste commendare videtur huiusmodi orationes secretas que proculdubio signum sunt evidentis secretitatis et a viris sanctis cum omni diligentia sectantur. Huiusmodi exemplum reliquit nobis saluator qui cum nullo indigeret totiens tamen legimus orasse sic ut nos ad hoc suo prouocaret exemplo. Huiusmodi etiam exemplum nobis reliquerunt apostoli qui ministerium mensarum propter hoc relinquentes: dicuntur actuum. vi. Considerate viros ex vobis quos constituam super hoc opus. Nos vero orationi instantes erimus. Exemplum etiam huius reliquerunt nobis fere omnes antiqui sancti patres sicut patet in gestis eorum: propterea huiusmodi private orationes videntur esse maioris efficacie. Sunt enim magis metales quam vocales. Hoc autem multum facit ad efficaciam orationis secundum illud psalmi. Cum inuocarem inuis vocarem exaudisti me deus. Ceterum generant maiorem affectionem: potest quidem sic oratio plus morari circa singula meditanda: et ex huiusmodi morosis meditationibus generantur maiores affectiones desideriorum sanctorum. Huiusmodi autem affectiones multum faciunt orationem

disciplina exequendi de oratorio.

Secularis et secreta orationis multum commendabilis.

Exemplum.

Locus oratorij habendus est in magna reverentia propter octo.

Adfunt angeli in missa.